

vocum attendimus. Potest igitur hæc Logicæ pars vocari *sophistica & elenctica*; & tot illius constitui classes, quot sunt instrumentorum Logicorum. Primam classem diximus antehac *athematicam*, secundam & tertiam *acategoreticam*, quartam *anoristicam*, quintam *ameristicam*, sextam *anaxiomaticam*, septimam *asyllogisticam*, octavam *amethodicam*; novis quidem vocabulis, sed tamen ita confictis, ut verè fiat didactica.

Canones in genere notentur isti.

1 *Logica non docet fallacias, ut fiant, sed ut deprehendantur & vitentur.*

An de fallaciis in Logica docendum?

Hinc solvitur objectio: Vitium in arte est heterogeneum. E. & doctrina fallaciarum in Logicis est heterogenea. Resp. ad antecedens, Vitiū, quā vitium, omninò heterogeneum est in arte; sed quatenus est apparens virtus, h. e. induit speciē virtutis, larva illi detrahenda est; id quod fieri non potest, nisi illius natura in arte explicetur, simulque ratio monstratur apparentiam illam detegendi. Ergo & præcepta malè discernendi, & præcepta solvendi hinc tradenda sunt.

2 *Rectum per se est mensura recti, per accidens verò obliqui.*

Id sic patet. Rectum quod est, mēsurare potest aliud, quod est rectū: quia nimirū rectum recto congruit. Et hæc est mensura positiva seu affirmativa. Sed & idem rectū mēsurare potest obliquum; sed per accidens, & negativè; quatenus obliquum non est rectum, sed ab eo discrepās. Quare si quis accuratè velit obliquū cognoscere, necesse habet illud opponere recto. Sic enim cōtraria juxta se posita clariùs elucescent. Hinc solvitur objectio: Si rectum est index sui & obliqui, de fallaciis non fuerit docendū in Logicis. Ratio consequentiæ nulla est: quia scilicet licet falsi cognitio aliquo modo pendeat ex cognitione veri: tamē falsi cognitio mirū in modum illustrat cognitionem veri juxta canonem illum modò dictum: Cōtraria juxta se posita clariùs elucescunt. Accedit, quòd ingenium hominis non ita acutum videt, ut possit statim fucū deprehendere. Nam falsum sæpe specie & apparentiâ veri sic occultatur, ut subinde illi, qui sibi vidētur Argi & totus oculus, decipiātur. Itaque quatenus obliquū occultatur apparen-